Zu der

öffentlichen Classenprüfung

den 19. 20. 22. 23. März

ladet

die Behörden der Stadt, so wie alle Freunde der Schule

ehrerbietigst und geziemend ein

Dr. Ph. **E. G. Chr. Vollbehr**, Rector.

Glückstadt, 1866.

Druck von W. Augustin.

DE

TIBULLI ELEGIA LIBRI PRIMI SECUNDA

SCRIPSIT

AUGUSTUS MAU.

Oblivione fere obruta sunt quae ut opem ferret reliquiis Tibullianis excogitavit quondam vir magnus Josephus Scaliger, neque facile invenias inter eos, qui post Lachmannum operam dederunt Tibullo, qui probarit prolata ab Heynio et Vossio, quorum uterque graviores quasdam indagasse sibi visus est corruptelas. Et quis contenderit aut Scaligerum aut Heynium aut Vossium satis diligenter de elegiarum quarundam integritate quaesivisse?

Sed, ut fieri solet, postquam peccasse cognoverunt eos, qui gravius corrupta esse carmina Tibulliana censuerant, non satis caverunt Scyllam homines docti. Omnia enim, si perpauca excipias, defendenda esse putavit vir magnae quidem et rarae diligentiae sed in explicandis elegiarum sententiis, explanandis poetae consiliis admodum infelix, Dissenus. Qui quae adfirmarat sana esse et ita a se ipso exposita, ut relicta iam nulla esset dubitatio, ea pro sanis profecto acceperunt posteriorum plerique. Et eo progressus est Gruppius, ut unum esse corpus et integrum contenderet elegiarum quae ad Deliam scriptae essent, per quod unum idque sapientissimum conspiceretur egregii poetae consilium. Quae autem de tribus Tibulli locis transpositione emendandis disputavit vir clarissimus Fridericus Haasius (prooem. aestiv. Vratislav. 1855) non sane ita sunt conparata, ut gratia inde conciliari possit eiusmodi conatibus: nullam enim emendationes illae habent veri similitudinem.

Mihi tamen persuasum est miserrime corruptas esse Tibullianae poeseos reliquias et nonnullas quas nunc tanquam integras legimus elegias fragmenta potius putandas esse elegiarum non bene coniuncta. Cuius generis quaedam spero me persuasurum esse iis, qui non sententias tantum requirunt quoquo modo coniunctas, sed poetae consilium. Multa tamen legimus quae ne intellegi quidem possunt.

Quod si quis dubitarit, an is fuerit Tibullus, quem certis consiliis in conponendis elegiis diligenter usum esse putemus, is ante omnia legat velim sed diligenter libri primi elegiam tertiam conparatis quae de hac elegia bene disputat Gruppius in

Oblivione fere obruta sunt quae ut opem ferret reliquiis Tibullianis excogitavit quondam vir magnus Josephus Scaliger, neque facile invenias inter eos, qui post Lachmannum operam dederunt Tibullo, qui probarit prolata ab Heynio et Vossio, quorum uterque graviores quasdam indagasse sibi visus est corruptelas. Et quis contenderit aut Scaligerum aut Heynium aut Vossium satis diligenter de elegiarum quarundam integritate quaesivisse?

Sed, ut fieri solet, postquam peccasse cognoverunt eos, qui gravius corrupta esse carmina Tibulliana censuerant, non satis caverunt Scyllam homines docti. Omnia enim, si perpauca excipias, defendenda esse putavit vir magnae quidem et rarae diligentiae sed in explicandis elegiarum sententiis, explanandis poetae consiliis admodum infelix, Dissenus. Qui quae adfirmarat sana esse et ita a se ipso exposita, ut relicta iam nulla esset dubitatio, ea pro sanis profecto acceperunt posteriorum plerique. Et eo progressus est Gruppius, ut unum esse corpus et integrum contenderet elegiarum quae ad Deliam scriptae essent, per quod unum idque sapientissimum conspiceretur egregii poetae consilium. Quae autem de tribus Tibulli locis transpositione emendandis disputavit vir clarissimus Fridericus Haasius (prooem. aestiv. Vratislav. 1855) non sane ita sunt conparata, ut gratia inde conciliari possit eiusmodi conatibus: nullam enim emendationes illae habent veri similitudinem.

Mihi tamen persuasum est miserrime corruptas esse Tibullianae poeseos reliquias et nonnullas quas nunc tanquam integras legimus elegias fragmenta potius putandas esse elegiarum non bene coniuncta. Cuius generis quaedam spero me persuasurum esse iis, qui non sententias tantum requirunt quoquo modo coniunctas, sed poetae consilium. Multa tamen legimus quae ne intellegi quidem possunt.

Quod si quis dubitarit, an is fuerit Tibullus, quem certis consiliis in conponendis elegiis diligenter usum esse putemus, is ante omnia legat velim sed diligenter libri primi elegiam tertiam conparatis quae de hac elegia bene disputat Gruppius in

libro de elegia Romana I pag. 8 ss., et libri secundi primam, quibus vix invenias quidquam elegantius et rotundius, modo ne probetur Haasii sententia elegiae libri II primae addendos esse censentis versus I, 10, 51—68. Quas qui perlegerit non sane mediocrem fatebitur nos tractare poetam, sed eum qui et ingenio valuerit et curam adhibuerit conponendis carminibus quam diligentissimam.

Tractandam mihi sumsi elegiam libri primi secundam, quam pro uno eoque integro carmine neque Heynius accepit neque Vossius, quorum tamen neuter ita rem tractavit ut aliquo modo satisfacere nobis possit. At recentiorum de huius elegiae et continuitate et integritate nemo quantum scio dubitavit. Iam prius quam ad hanc accedam iterum moneo, non esse quaerendum, quaenam aliquo modo cogitando coniungi possint, neque in quas res incidere fortasse potuerit poeta amore furens denique multo vino prolutus — nam non passi sunt viri docti inpune in elegiae initio meri eum mentionem fecisse — sed id agendum esse, ut consilium adgnoscamus et vere poeticum et quo uti potuerit sani iudicii homo — fuit enim egregie sobrius cum carmina conponeret Tibullus — denique ut accurate consideremus poetae verba et eam eliciamus sententiam, quae his ipsis verbis contineri possit.

Quaerendum primum est qualem animo informarit rerum statum Tibullus, deinde ubinam loci versari putandus sit dum profert haec omnia. Et illud quidem recte exponit Dissenus. Postquam enim a Delia, quae nupta est, promissa tulit Tibullus, ex conposito venit ad puellae fores. At ecce clausae sunt neque audet Delia fallere positam custodiam. Queritur igitur poeta et hortatur puellam, ut nihilo minus secum congrediatur. Hic est rerum status. Altera illa paullo difficilior est quaestio: nam et bibit Tibullus — Dissenus ait — et, si spectas versum 9, ante ipsas fores consistere videtur. Miram igitur Dissenus protulit sententiam: Tibullum ante Deliae fores, cum frustra puellam expectasset, ut falleret noctem vinum adferri iussisse, tandem non veniente Delia ingenti dolore correptum plus meri postulare ut consopiat dolores, dormiturum in ipso limine. Bibere solitos esse amatores ante puellarum fores ut probet uti se nolle Dissenus dicit scholio ad Aristophanis Pluti versum 179 adscripto, ubi Thessalici amatores Laidis fores vino conspersisse dicuntur — neque uti potest: narrat enim tanquam rem singularem scholiastes Thessalos hoc modo celebrasse meretricem illam — sed Plauti locum laudat: Curcul. I, 1, 76. At non recte hoc loco usus est. Nam quod Palinurus servus vinosus vinum quod adferri videt nec scit cur adferatur sibi et domino destinatum esse conicit, inde nihil sane sequitur neque hoc modo probari potest res ceterum prorsus inaudita. Mittamus igitur hoc Disseni commentum et redeamus ad priorum interpretum opinionem, qui recte non ante fores versari Tibullum putarunt sed absentem adloqui ianuam, tanquam adstaret ad ipsam. Perducere eum voluisse mihi fingo puellam ad locum aliquem tutum. Pararat pocula, ut inter hilarem conpotatio-

nem nox ageretur. Iam solus redit, fortiora sibi pocula misceri iubet. Statim non vino delirans ante fores stare sibi videtur sed absens primum execrando mox precando ianuam adgreditur tanquam ante fores adstans. Ferri hoc certe potest, praesertim in hoc carmine quo depingitur animus vehementer conmotus.

Iam si quis diligenter legendo pervenerit ad versum 33, haerebit haud dubie et quaeret quo vinculo quae inde ab hoc versu secuntur cohaereant cum iis quae praecedunt, neque ita facile inveniet. Videamus igitur, quid de hac re censuerint interpretes et primo loco adeamus eum, qui uberrime de elegiae conpositione egit, Dissenum.

Hic igitur nos docet exordium (1—14), quo poeta, postquam vino consopire dolorem conatus sit, rursus precibus adgrediatur ianuam, sequi primam medii carminis partem, quae inde a versu 15 procedat usque ad versum 40 (42 Diss.), deinde secundam quae versibus 41—58 contineatur, et id agere duabus his partibus Tibullum ut Deliae addat audaciam. Prima igitur parte amantes in Veneris tutela esse ostendere eum trifariam: docere deam artes furtivas, quibus fallere possint (15—24), tueri euntem noctu per vias (24 a—32), punire proditores loquaces furtorum (33—40).

Ita in introductione (pag. 31) exponit Dissenus: at si perlegeris commentarium accuratius cognosces viri docti opinionem. Nam — si recte intellego — subesse quidem putat hanc tripartitam sententiam, sed aliam esse orationis formam: tres has sententias secundum Dissenum non simpliciter enumerat sed artificiosius coniungit poeta. Ita enim cohaerere et procedere sententias:

Postquam versibus 15—24 in Veneris tutela esse amantes dixit, quae doceat artes furtivas, et addidit, non omnes adiuvare Venerem sed audaces, iam versibus 24 a—32 hanc postremam sententiam suo exemplo illustrat, quem quia fortis sit neque pericula tangant neque frigoris aut imbrium vis laedat dum tota urbe vagetur. (Dissen. pag. 39 ad vers. 25.)

Vaganti igitur sibi per totam urbem si quis occurrat hunc monet ne se adspiciat, neu nomen quaerat, neu terreat strepitu pedum, denique ne velit loquax esse: gravissimam enim fore poenam. (33—40. vide Dissen. pag. 40 ad vers. 35.)

A versu autem 41 incipere putat Dissenus alteram partem, qua magicarum rerum enarratione animum addere Deliae studeat.

Consentiunt fere cum Disseno Vossius et Wunderlichius.

At non difficile est demonstrare parum recte haec a Disseno disputata esse. Mitto nunc quod a versu 41 maior totius elegiae pars initium capere non potest, quia arctissime versus 41. 42 cohaerent cum versibus 37—40. Versus quoque 25. 26 non recte explicatos esse post videbimus. Nunc versus 33 ss. neque recte interpretatum esse neque cum prioribus bene coniunxisse Dissenum demonstrabo.

Ad eos enim convertere orationem putat Tibullum, qui soli per urbem vaganti

obviam fiant: hos parcere oculis eum iubere, his si loquaces fuerint iratam Venerem minari.

Formula illa ‚parcite luminibus' apud Ovidium Perseus utitur, dum profert caput Medusae, oculis parcere apud Propertium iubetur qui sacris arcanis arcetur. Tibullus igitur, qui hac formula utitur, non minus anxie se tota urbe vagantem celandum esse indicat, quam arcana deorum sacra aut alias res quas videre nefas est. Sed cur tandem tantopere timeret, ne a quoquam videretur neu cognosceretur? Metuendum scilicet erat, ne qui in aliqua urbis parte vagantem vidissent statim Deliae causa eum vagari scirent. Nam ne ita quidem defendere licet istam interpretationem, ut dicas cogitare Tibullum de iis qui se vidissent dum per urbem vagatus iam adstet ad ipsas puellae fores: obviam enim fit non qui incidit in stantem sed qui occurrit eunti. Quae sunt igitur furta illa, quae celari volt Venus ipsa? Quod enim solus per urbis vias vagatur Tibullus hoc certe non est furtum Veneris. Et quid non credet coniunx? Solum per vias vagatum esse Tibullum?

Dicas expressum esse timidorum hominum morem, qui vel ea quae cogitant ipsi ab aliis cognosci posse suspicantur: ita Tibullum qui per urbem vagetur eo consilio ut mox ad Deliae domum se conferat timere praetereuntes, ne quasi e voltu ipsius cognoscere possint consilium. Ferremus tale quid, si haec proferret poeta errans re vera per urbem, quamquam miraremur eum, qui ne videretur tantopere timeret, incedere per urbem. Sed aliena sunt ab eo qui exponit quae, si quando vagetur, eventura sint.

Attamen perlectis versibus 33—40 haud dubie animum cognosces maxime concitatum et sollicitum timore, ne quis se cognoscat neu sit loquax. At unde haec tanta anxietas, hic animus sollicito timore tam vehementer conmotus, si non est omnino in via sed tutus? Atqui tutum eum ad pocula sedere cognovimus. Haec igitur altera est difficultas, quod, cum tutus loquatur Tibullus de periculis in quae possit aliquando incidere, verbis tamen utitur eius, qui veris et praesentibus periculis exagitatur. Disseni vero opinio si cui placuerit, bibere in ipso Deliae limine Tibullum, huic multo etiam magis haec ridicula videantur necesse est. Nam quis credat eum qui tantopere timeat, ne quisquam Deliae causa se excubare cognoscat, eum ipsum cum vino et poculo sedere ante puellae fores ut latere praetereuntes non possit?

Sed multo etiam magis hic sollicitus poetae animus tibi displicebit si consideraris sententiarum conexum. Haec enim omnia proferuntur ad probandam sententiam illam supra propositam: fortes adiuvare ipsam Venerem, quam repetit his versibus:

Nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
nec vetat obscura surgere nocte timor.

Hanc sententiam suo exemplo illustraturus incipit: ‚en ego' — sed iam se ipsum depingit non audacem, non fortem et propter fortitudinem tutum, sed paventem, anxie

circumspicientem ne quis se cognoscat, quem tamen Venus protegat, ita certe ut puniat loquaces. Videas ipse, num hoc exemplo illa probetur sententia, fortitudinis praemium esse Veneris auxilium, an contraria. Hoc quoque velim consideres. Id agit secundum Dissenum Tibullus, ut Delia Veneris auxilio freta misso omni timore audeat aliquid. Quod dum hortatur hoc potissimum utitur argumento, se ipsum quoque tutum reddere Venerem. At hercle perquam male rem egisse dicendus est, qui dum Deliam divini auxilii spe securam fieri volt se ipsum, cuius exemplo utitur ad hortandam amicam, hac ipsa spe minime securum factum esse ostendit.

Tum quid hoc est: neu (me) terrete strepitu pedum? Scilicet ne tenellus homo e terrore morbum contrahat. Parum sane hoc convenit amanti, qui amoris causa omnes se labores, omnia pericula libenter suscipere adfirmat.

Denique versus 33—40, ut a Disseno explicantur, ne cum sequentibus quidem bene coniuncta sunt. Neque quo modo cohaerere putarit dixit Dissenus, qui per totam quam vocat secundam medii carminis partem nil nisi singulas res explicavit. Cum enim secundum Dissenum his versibus de se solo per urbem vagante loquatur, versibus 53—56 non de se solo dicit, sed de Delia, quae quo modo coniugem fallere possit exponit, denique de furtis ab ambobus amantibus committendis. Transiit igitur ad aliam rem, sed ubi et quo modo? Legimus post versum 40, omissa sagae descriptione, haec:

41. nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
pollicita est magico saga ministerio.
53. haec mihi conposuit cantus quis fallere posses:
ter cane, ter dictis despue carminibus.
55. ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
non sibi, si in molli viderit ipse toro.

Iam cum pronomine ‚huic‘ quod legimus versu 41 non alius possit significari nisi ille qui prodere conetur Tibullum solum vagantem, ad aliam rem transire dicendus est poeta versu 53, qui versus ita erit explicandus: haec mihi conposuit cantus quis (tu quoque) fallere posses. Versu igitur 53 ad eam ipsam rem pervenit, quae maximi est momenti et cuius causa omnia illa quae praecedunt monuit: antea suo exemplo Deliae animum addere studuit, iam ad ipsam redit ipsi quoque sagam consuluisse adfirmans. At nonne permirum est, ne verbo quidem indicatum esse iam sequi rem omnium gravissimam? Sed ne aliam quidem rem sequi poeta indicat: pergit tanquam rediens ad rem modo tractatam.

Satis mihi videor contra Dissenum disputasse, quem nunc mittamus et videamus quaenam ipsius poetae verbis inesse possit sententia. Dicendum igitur erit inde a versu 33 eos adloqui Tibullum, qui obviam futuri sint sibi et Deliae per vias fugienti-

bus. Iam quae sint Veneris furta facile intellegimus, iam non se terreri vetat strepitu pedum sed teneram puellam, iam non vanus nobis videtur et ridiculus Tibulli metus, cuius causam tenemus maxime idoneam, denique cum iis quoque quae secuntur versus 33—40 bene coniuncti sunt. Et acceperunt ita poetae verba Broukhusius (ad versum 33) Vulpius (ad eundem locum) Bachius (argumento). Sed iam alia nascitur difficultas. Nam, cum haud dubie versibus 29—32 de se solo per urbem vagante dixerit Tibullus, quo tandem vinculo cum illis nostrum locum cohaerere dicemus? Neque de hac re quidquam viri illi docti adnotarunt. Denique quo modo intellegemus poetam de se cum cum Delia fugiente loquentem dum domi est illa, fortiora pocula bibit ipse?

Dicas vinculum illud contineri versibus 31—32, qui dicti sint de puella quam reseratis foribus relictis aedibus secum aufugere optet. Dum igitur poeta monens puellam et de sua patientia Venerisque tutela verba faciens incidit in hanc rem, iam imagine sibi gratissima ita abripi dicendus est, ut veri rerum status prorsus oblitus re vera cum Delia, quae coniugis aedes reliquerit, per vias fugere sibi videatur et loquatur tanquam cum puella in via versetur. Et sane ita plane loquitur: ‚anxie primum ne quis se et illam velit cognoscere monet, neu quis terreat (puellam), denique, si quis adspexerit, ne sit loquax. Porro sedato paullatim animo ad Deliam se convertit narraturus quae sint provisa ab ipso, ne quid credere possit coniunx‘.

Sed primum paullo diligentius videamus quidnam contineatur versibus 31. 32:

Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
et vocet ad digiti me taciturna sonum.

Congredi cum Delia haud dubie optat dum nocturnas molestias perfert. Sed dubitari possit, utrum ita ut egrediatur et secum aufugiat Delia, an ita ut ipse ad illam admittatur. Qua de re dubitantibus non quaerendum est quod sit per totum carmen Tibulli consilium: nam de eo consilio his versibus non agitur, qui in universum dicti sunt de spe quadam quae saepius erexerit frigus et imbres patientem. Nullum igitur habemus fontem unde quid velit cognoscamus praeter ipsa horum versuum verba, quae diligenter nobis consideranda sunt. Iam cum quidquid se pati dicat modo reserentur puellae postes, modo vocetur a puella, quis tandem ex his verbis eam eliciat sententiam, ut progredi et secum fugere Deliam cupiat, non ut admitti velit ipse? Imo haud dubie his versibus agitur de aditu quem speret Tibullus. Igitur ne hi quidem versus transitum nobis praebent ad ea quae secuntur.

Deinde, ut erremus in his versibus interpretandis, nonne permirum est Tibullum a puella exclusum subito ita loqui tanquam cum illa per vias fugiat? Haec enim non ficta sunt ita, ut fingere quaedam concedimus poetis, sunt delirantis hominis hallucinationes. Non credimus eum qui modo tam acerbe querebatur iam eo pervenisse ut felix sibi videatur, neque persuadere voluisse lectori Tibullum credo eo se insaniae ab-

reptum esse. Atqui prorsus oblitus verae suae condicionis una sibi esse et colloqui cum puella videtur, cui dicit non qualia absentibus quoque dici possunt, sed accurate dat praecepta quo modo utendum sit magico carmine, eorum denique more qui secure colloeuntur ab una re transit ad alias.

Nam ubi tandem dicamus visionis huius finem esse? Ut enim largiamur non adeo ab humana natura aliena esse talia vigilantis hominis insomnia, utque tale quid fingere poeta potuerit, non tamen aliter hoc invento uti poterat, nisi ut se fingeret primum oblitum esse miserae suae condicionis, mox magno dolore reminisci. Nullo enim modo fieri poterat, ut usque ad elegiae finem in eodem errore se permanentem depingeret. Non igitur aliud poterat esse poetae consilium nisi ut rursus verae suae condicionis commonefactus quasi e somno experrectus miserrimas querelas funderet longe aliter ac modo animo informasset rem se habere. At hoc ubi invenimus? Non alium locum nobis indicare poteris nisi versum 79, quem tamen locum talem esse qualem post illa quae modo exposui expectamus vix quisquam sibi persuadebit. Nam ne uno quidem verbo modo felicem sibi se visum esse dicit: pergit tanquam modo de misera sua condicione locutus sit. Et vix queritur hoc loco: causam mali quaerit et remedia.

At totum hoc commentum, ut furore quodam abreptus Tibullus una cum puella esse sibi videri putetur, maximis et quae solvi non possint difficultatibus teneri satis mihi videor exposuisse.

Iam possit fortasse aliquis dicere versibus 33—40 hanc contineri sententiam: ‚tum cum tu relictis aedibus mecum fugere ausa eris nemo inpune prodere nos poterit: puniet eum Venus ipsa‘, et usum esse ad exprimendam hanc sententiam figura poetica Tibullum, ut in via se esse cum puella fingeret iuberetque oculis parcere occurrentes. Perduci hanc figuram usque ad versum 40: inde eam omitti et simpliciore dicendi genere ad Deliam conversa oratione haec addere poetam: ‚neque si quis prodiderit coniunx tuus credet‘.

Sed primum si hoc voluisset poeta permale lectori consuluisse dicendus esset. Nam qui post versus 29. 32, quibus agitur de Tibullo solo vagante, legerit haec:

parcite luminibus seu vir seu femina fiat obvia . .

nisi quadam divinandi facultate praeditus erit haud dubie cogitabit de iis quae Tibullo soli occurrant. Mox his lectis: ‚celari volt sua furta Venus‘ haerebit, nesciet quaenam sint illa furta, donec accuratius investigando quid voluerit poeta assecutus erit. Versibus autem 31. 32 diversam rem indicari supra exposui. Igitur ita quoque intellectos versus 33 ss. cum iis quae praecedunt non cohaerere fatendum erit.

Deinde si illud his versibus significare vellet Tibullus non aliud certe eius posset esse consilium nisi ut Deliae animum augeret. Sed hoc si voluit, quod contra Disse-

num quoque monui, ineptissime rem suam egisse dicendus est: quo modo enim aliis audaciam inspirare potest, qui ipse tam anxium animum prodit qualem his versibus Tibullus, qui tam sollicite per deos omnes meminisse vetat, si quis ipsum adspexerit? Imo dicendum erat: adspiciat qui voluerit, narret etiam coniugi: non credet ille.

Tum alia et praesentibus et absentibus dici possunt, alia praesentibus tantum. Atqui totam illam narrationem de saga, praecepta quo modo magico carmine utendum sit, narratiunculam illam quae versibus 59—64 continetur, haec omnia absenti dici paene ridiculum est: non enim haec est epistula sed verba quae dolens profert ipse Tibullus. Et quo modo procedant sententiae videas velim. Enarratis enim quae provisa sint a saga (41—58), postquam non satis credere videtur Delia, quid credam, inquit, quaeris? (i. e. parum credibile hoc putas?) alia quoque potest illa: nam amorem meum solvere voluit, sed ego recusavi: ne posse quidem te carere velim. Et ecce his pronuntiatis in plane aliam rem incidit: loquitur de homine quodam, qui praedae petendae causa relinquere Deliam potuerit, exponit quam nihil sint divitiae prae amoris felicitate. Non sane ita iungunt sententias qui concitatis animis ad absentes orationem convertunt, sed qui secure cum praesentibus collocuntur.

Quaedam denique manebunt difficultates quamcunque probaris interpretationem.

Magna enim vi versibus 16 ss. Venerem dixit Tibullus favere amantibus qui audeant aliquid, Venerem omnia pericula averruncare. Quae igitur sunt partes sagae illius quae inde a versu 41 inducitur? Et quaenam haec est sententia: aude lusis custodibus mecum fugere, nam Venus amantes tutos reddit a periculis omnibus: nil de nobis credere poterit coniunx tuus, saga enim magicum carmen mihi conposuit. Fortasse aliquis non sibi haec repugnare putabit: at talia in mentem venire poetae non poterant, ut cetera quidem pericula ab ipsa Venere arceri fingeret, hoc unum a saga, ita tamen, ut quos nocere non sineret saga punirentur a Venere. Quo enim consilio ita partes distribuerit? Imo quae cetera pericula magica quadam vi arcere dicitur, ei longe aptius et simplicius hoc quoque munus demandari poterat.

Denique paullo accuratius rerum statum consideremus. Congredi cum puella non potuit Tibullus propter positos custodes. Iam eam hortatur, ut quamquam positi sint custodes nihilominus secum congrediatur. Quamquam enim cum periculo quodam hoc coniunctum sit, nihil tamen esse verendum, quia ipsa Venus tutos reddat amantes. Et id inprimis agitur ut omnis periculorum metus e Deliae animo eximatur. At maxime mirandum est non tangio mnino id ipsum periculum, quo deterrita est quo minus cum Tibullo congrederetur Delia: quod imminet a custodibus. Atqui ante omnia adfirmandum erat hoc quoque Veneris auxilio posse superari. Postquam autem in universum dixit Tibullus iuvari a Venere amantium furta (17—18) haec addit: Veneris auxilio puellam furtim lecto decedere, nullo sono pedem ponere (leni gressu excedere cubiculo), viro

coram per signa colloqui, protegere denique Venerem per vias euntes et a praedatoribus et a proditoribus: de custodibus nil audimus. Dicas versu 20: ‚illa pedem nullo ponere posse sono‘ de custodibus cogitandum esse: sed ut hoc concedam, nihil fere proficitur. Nihilo minus enim uno versiculo rem absolvisse dicendus est quae omnium erat gravissima, nihilo minus nusquam disertis verbis de custodibus dixit. Atqui qui id agit, ut ad audendum inpellat amicam, num eum credemus tot verbis monuisse eam ut contemnat pericula, ad quae subeunda parata fuit, vix tetigisse id ipsum, quo modo deterrita est?

Vides me quidem bonam ex hac elegia sententiam elicere non posse. Neque credo quemquam sanis rationibus unum hoc carmen esse et integrum posse evincere. Quid? qui tam concitato est animo, qui tanto dolore exagitatur quanto videmus versibus 1 ss. Tibullum, is dum hortatur suam iam eo animi pervenerit ut iocis indulgeat? Nam non credo serio dicta esse, quae legimus versibus 57. 58:

tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
omnia: de me uno sentiet ille nihil.

Poterat serio dicere: ‚talia furta magico sagae carmine non occulentur‘, non: ‚omnia coniunx videbit‘. Imo nos videmus iocose exaggerantem poetam.

Quae cum ita sint persuasum mihi est elegiam quae dicitur libri primi secunda non esse unam: non cohaerere ea quae secuntur inde a versu 33 cum iis quae praecedunt. Illic enim queritur secum congredi puellam non potuisse et hortatur ut congrediatur: hic fugere se cum puella et colloqui cum praesente fingit. Et cohaerent inter se haud dubie versus 33—64: de versibus 1—32 quid iudicandum sit iam paullo curatius nobis quaerendum est.

Non esse integram elegiam versus 1—32 quivis videt: vix enim coepit poeta rem aliquam fusius exponere. Sed in his quoque versibus tractandis acrioribus remediis opus esse videbimus.

Tibullus postquam positis custodibus prohibitus est quo minus cum Delia congrediatur vino dolorem consopire temptat (1—6). Sed prius quam bibere incipit urgente magno indomitoque dolore prorumpit in querellas et execratur clausam ianuam, statim tamen mutata mente hanc ipsam ianuam ut sibi pateat inplorat. Mox hortatur puellam, ut fortiter fallat custodes: boni eventus spem in eo positam esse quod Venus ipsa adiuvet amantes, quae doceat fallendi artes. Et hactenus quidem bona omnia. Sed hanc postremam sententiam explicare incipit ita:

16. fortes adiuvat ipsa Venus.
illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
seu reserat fixo dente puella fores:
illa docet furtim molli decedere lecto,

20. illa pedem nullo ponere posse sono,
illa viro coram nutus conferre loquaces
blandaque conpositis abdere verba notis.
nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
24. nec vetat obscura surgere nocte timor.

Offendor versibus 21. 22. Postquam enim versibus 17. 18 in universum adfirmavit Venerem favere, seu iuvenis nova limina temptet, seu reseret puella fores, iam a versu 19 quo modo talia ausa adiuvet illa exponit: furtim lecto decedere docet, leni gressu incedere, egredientem puta e cubiculo. Haec bona sunt. Sed iam sequitur illud distichon, quod cur tandem addiderit poeta? Cum enim antea et vera pericula commemorata sint et talia quae ad ipsam Deliae condicionem quam maxime pertineant hoc disticho de rebus alienis agitur. Non enim haec sententia pertinet ad id, quod persuadere studet Deliae: ut custodes fallat. Dicat aliquis pertinere tamen: hoc enim modo tempus locum cetera constitui posse inter amantes. Sed hac de re nostro disticho non agitur: cum enim dicit ‚blanda verba‘ satis significat non de illis constituendis se cogitare, sed de quibusvis amantium per signa faciendis colloquiis, qualia tractat notissimo carmine Ovidius. Ineptissime praeterea de hac re diceret post versum 20: prius enim illa constituunt quam conveniunt. Non igitur ad rem propositam haec pertinent. Neque puto hoc dixisse Tibullum: adiuvat Venus, seu iuvenis nova limina temptat, seu puella reserat fores: n a m docet 1. furtim lecto decedere, 2. leni gressu excedere cubiculo, 3. viro coram per signa colloqui. Enumeraret enim inter ea quibus adiuvet amantium ausa Venus rem ad illud minime pertinentem. Deinde quis ferat versus 23. 24 post hoc distichon? An hoc quoque audaces tantum docet Venus? Sed non dubito quin ita scripserit Tibullus:

17. illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
seu reserat fixo dente puella fores:
21. illa viro coram nutus conferre loquaces
blandaque conpositis abdere verba notis,
19. illa docet furtim molli decedere lecto,
illa pedem nullo ponere posse sono.
23. nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
nec vetat obscura surgere nocte timor.

Pedestris sermonis scriptor ita potius dixisset: nam quae (nos quoque) viro coram per signa blande colloqui docet, eadem lecto quoque furtim decedere, eadem pedem nullo sono ponere docet. Ita hanc difficultatem puto esse removendam. Sed restat alia.

Nam post versum 24 hexametrum legimus minore versu carentem, qui si sententiam spectas parum commode interpositus est:

en ego cum tenebris tota vagor anxius urbe.

Nam ut priores quoque interpretes haeremus in ea re, quod anxium se vagari dicit Tibullus: anxium enim hoc sententiarum conexu dicere se non poterat dum suo exemplo probare studet fortes a Venere adiuvari. Neque hoc pendet, ut putat Huschkius, a minore versu, neque audiendus est Dissenus qui haec profert: ‚nulla hic repugnantia: potest sine timore periculorum nocturnorum vagari quem amoris curae sollicitum habent' (pag. 39 ad versum 25). Ut enim anxius esse possit Tibullus — quod quis neget? — dicere se hoc loco anxium eum potuisse nego.

Quid igitur? Emendare locum conatus est Broukhusius, propter pentametrum quidem quem sequi putabat:

Securum in tenebris me facit esse Venus.

Scripsit igitur ‚avius', quod ita interpretatus est: ‚cum vagabundus circum lustra oberro in aviis urbis regionibus'. Sed haec Broukhusii interpretatio statim mittenda est. Primum enim scire velim, quaenam sint in urbe magna et hominibus plena loca avia. Deinde non in aviis quibusdam locis vagari se dicit Tibullus sed tota urbe. Atqui tota certe urbs avia non erat. Possit autem aliquis retinere hanc coniecturam sed aliter explicare. Interdum enim vocabulo ‚avius' utuntur veteres cum a vera via aliquem recessisse dicunt. Sed num Tibullum nobis fingemus amore caecum rectam viam reliquisse? Certe hoc noluit ipse. Primum enim quaerendum erit a quanam via recesserit. Deinde cum saepius vagari dicantur nunquam tamen amantes a certa quadam et proposita via aberrasse dicuntur. Imo nullam omnino propositam sibi viam habent, nullum consilium: nihil nisi furores suos agitantes currunt mente consilioque expertes.

Reicienda igitur est Broukhusii coniectura. Neque video quo modo probabiliter emendando molestissimum hoc vocabulum submovere possimus. At si alio sententiarum conexu hic versus legeretur cum vagandi verbo hoc vocabulum bene coniunctum esse diceremus: huic loco parum convenire hunc versum videmus. Quaerendum igitur erit, an aptior ei locus inveniri possit, et ad eum redibimus ubi de versibus 29—32 dictum erit.

Putant enim fere interpretes his quoque versibus id agere Tibullum, ut probet fortes a Venere adiuvari et ad hanc rem probandam suo uti exemplo:

non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
non mihi cum multa decidit imber aqua.
non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
et vocet ad digiti me taciturna sonum.

Apud Dissenum haec legimus pag. 40 ad versum 31: ‚dixerat de insidiis et periculis: nunc pergit: etiam hiemis vis non nocet mihi, etiam hiemis vim facit Venus ut sine damno feram, quia non iners sum nec declino laborem et molestias'.

Sed quo tandem consilio hos versus addiderit poeta qui paullo accuratius quaesiverit non tam facile inveniet. Primum enim quae de sententia illa fortes amantes

ab ipsa Venere adiuvari dicta sunt iis cum vi quadam finis inpositus est versibus 27. 28:

quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
qualibet: insidias non timuisse decet.

Putabit enim, qui ad haec verba legendo pervenerit, iam hunc locum de Venere protegente amantes esse absolutum et egregie absolutum esse iudicabit. Languent quae post talia verba adduntur.

Et qualia adduntur? adfirmavit iuvari amantes in fallendo marito, custodibus, defendi a grassatoribus nocturnis et praedatoribus, omnia denique gravissime conprehendit versibus 27. 28. Iam post haec omnia quae de gravioribus periculis dicta sunt addit ita quoque amantem a Venere defendi ut ne pituitam quidem contrahere possit dum noctu vagetur. Hoc igitur tanti momenti esse videbatur ut post absolutam sententiam adderetur. Ita tamen haec intellexerunt interpretes.

Sed diligentius perlecto loco nostro hanc sententiam non solum permale post versus 27. 28 additam esse cognoscemus, sed ne inesse quidem poetae verbis. Nam beneficii illius, quod non noceant ipsi frigora atque imbres, auctorem dicit non Venerem deam sed Deliam, quae si admittat, tum non sibi nocere illa. An dicemus tum arcere illa Venerem, cum admissura sit Tibullum Delia, non si negatura? At si quaeris quo modo tum defendatur a frigore poeta si admittatur a puella respondendum erit non eum loqui de mala valetudine per frigus contrahenda, sed hanc eius esse sententiam: non se sentire, nihili facere frigoris atque imbrium vim, modo se admittat Delia. Habes sententiam ab iis quae praecedunt diversam et quae quo vinculo cum illis cohaereat non facile perspicias. Vix enim vereor ne quis ita haec velit coniungere: defendere scilicet Venerem, amoris deam a frigore Tibullum, quia propter amoris ardorem non sentiat frigus. Nimis enim ieiune et minime poetice hoc additum foret post illam ipsius deae quasi magicam tutelam. Obstant denique propter quae post versus 27. 28 subiungi potuisse negavi sententiam qualem versibus 29—32 inesse putat Dissenus.

Persuasum igitur mihi est post versum 28 interruptum esse sententiarum conexum et contineri versibus 29—32 fragmentum ab iis quae praecedunt alienum. Addo non apte versu 31 de Delia loquentem poetam tertia persona uti videri, quam his ipsis versibus adloqui putatur.

Sed iam redeundum est ad solitarium illum hexametrum: nam veri haud dissimile mihi videtur illum cum minore versu qui periit praecessise olim versum 29. Quod si recte conicio perditi pentametri haec fere fuit sententia: ‚nullas extimesco molestias.' Vagatur tota urbe Tibullus donec veniat hora qua ad fores eum adesse iussit Delia anxius metu ne tamen non admittatur: nam ipsum hoc anxii vocabulum de nocturnis potorum hominum post convivia comissationibus cogitare nos vetat.

Ipsum hoc fragmentum ita explicatum satis intellegimus. Quaerendum autem est num ad nostram, i. e. eam quae a versu 1 incipit, elegiam pertineat. Nam quod hoc potissimum loco legitur cave pro testimonio accipias cum praecedentibus id aliquo modo cohaerere. Cum enim post versum 28 non positum sit a poeta sed ab alio quopiam, nihilo veri similius est eiusdem quam alius elegiae esse particulam. Et haud dubie propter crassum quendam qui effici posse videbatur sententiarum conexum vel propter similitudinem quandam argumenti hoc loco aliquis posuit incertae sedis fragmentum. Hexameter ille postea sedem mutasse putandus est. Possunt certe haec pertinuisse ad elegiam aliquam qua amico cuidam de amoribus suis narrarit Tibullus et adfirmarit tanto se amore teneri, ut nihili faciat imo ne sentiat quidem hibernae noctis iniurias, modo a puella admittatur. Attamen certi quidquam hac quidem de re non adfirmarim.

Sed quoniam locum invenimus hexametro illi, qui sequebatur versum 24, redeundum est ad eum locum unde hunc versum sustulimus. Nam, quod recte observavit Wunderlichius, veri simile non videtur ita scripsisse poetam:

23. nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
nec vetat obscura surgere nocte timor,
25. nec sinit occurrat quisquam cett.

obstat particula nec in trium versuum initio repetita, ita tamen ut de anaphorae figura non sit cogitandum, neque quod versu 25 legimus ‚nec‘ respondeat ei quod est versu 24. Fortasse igitur etiam remoto hexametro illo post versum 24 aliquid excidisse putandum erit. Accedit quod tum quoque, si solam sententiam spectamus, deesse aliquid videtur. Cum enim versibus 19. 20 docere dicatur Venus furtim decedere lecto, excedere cubiculo, mox versibus 25 ss. protegere per vias fugientes, mirandum sane est non hoc quoque tributum esse Veneri: inritas eius auxilio fieri custodum tristes excubias. Atqui egregie versum 24 haec fere sequi poterant: ‚hos autem (audaces) etiam in fallendis custodibus adiuvat efficitque ut hi caeci sint.‘ Diceret enim aptissime de fallendis custodibus et post ea quae pertinent ad relinquendum cubiculum et ante ea quae ad fugam per vias. Suspicor igitur post versum 24 illius hexametri loco scriptum olim fuisse aut unum distichon aut plura, quibus hac de re dictum fuerit. Miraris perturbari inter se potuisse et misceri haec omnia? Difficile sane est et lubricum quaerere quo modo talis corruptela nasci potuerit. Possit ineptus aliquis librarius, cum videret fortasse post versum 24 adpicta lacunae signa, expleri aliquo modo posse lacunam putasse transposito versu qui suo loco non necessarius videbatur. Sed nihil egerit, qui apud hos praesertim poetas quo modo quaeque corruptela nata sit ostendere voluerit.

Dubitanter addo posse versus 1—28, si ponimus unum distichon post versum 24 excidisse, strophis distinctos esse ita, ut in initio posita tria disticha binorum strophae sequantur: in fine carminis tria redisse putandi sunt. Similiter fortasse primum

libri primi carmen conpositum est. Non multum tamen apud Tibullum quidem huic rei tribuendum esse puto. Adscribam versus 1—32 ut mihi adornandi et distiguendi esse videntur.

Adde merum vinoque novos conpesce dolores,
occupet ut fessi lumina victa sopor:
neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
excitet, infelix dum requiescit amor.
5. nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
clauditur et dura ianua firma sera.

Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
te Iovis imperio fulmina missa petant.
ianua, iam pateas uni mihi, victa querellis,
10. neu furtim verso cardine aperta sones.

et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
ignoscas: capiti sint precor illa meo.
te meminisse decet, quae plurima voce peregi
supplice, cum posti florida serta darem.

15. Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle
audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.
illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
seu reserat fixo dente puella fores:

21. illa viro coram nutus conferre loquaces
22. blandaque conpositis abdere verba notis,
19. illa docet furtim molli decedere lecto,
20. illa pedem nullo ponere posse sono.

23. Nec docet hoc omnis, sed quos nec inertia tardat
nec vetat obscura surgere nocte timor,
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — —

25. nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
volneret aut rapta praemia veste petat.
quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
qualibet: insidias non timuisse decet.

En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe
— — — — — — — — —

non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
non mihi, cum multa decidit imber aqua.
non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
et vocet ad digiti me taciturna sonum.

Binae strophae arctius inter se cohaerere videntur: 2. 3 — 4. 5 — 6. 7. Si quis igitur quatuor potius distichorum strophas distinguere voluerit non adversabor.

Sed iam nos ad ea convertamus quae secuntur inde a versu 33. Nova ab hoc versu incipit elegia: Delia e mariti aedibus progressa a Tibullo ad tutum aliquem locum perducitur. Loquitur poeta dum per vias properant. Et mirandus sane est quam egregie adfectus expresserit: primo enim, dum recens metus, dum propinqua coniugis domus maxime anxio est et concitato animo, quem e versibus 33—40 facile cognosces: non puellam adloquitur, sed si quis obviam fiat. Mox primo superato periculo, postquam animus subito gaudio simul et anxietate confusus ad se ipsum rediit, sedatiore flumine fluit oratio: ad Deliam conversa oratione fusius nec sine multis verbis describit sagam eiusque officia, quae postquam non satis credidit illa aliud de eadem saga narrat: voluisse eam amore ipsum solvere. Sed noluisse se amore solvi: ne posse quidem Delia carere se velle adfirmat. Vides iam ita colloqui cum puella Tibullum, ut qui securi et ab omni periculo remoti collocuntur.

Sed quousque hanc elegiam procedere dicemus? Statim vides versus 79—98 alienos esse. Cum enim his versibus miserrime queratur Tibullus non pertinuisse possunt ad elegiam qua laetissime Deliae fugam descripsit. Sed dubitari possit de versibus 65—78. Hos enim possit aliquis cum versibus 63. 64 coniungere: nam postquam illic dixit noluisse se solvi amore, nec posse Delia carere se velle, addere quodam modo potuit ferreum fuisse illum, qui, cum potuerit habere puellam, carere ea praedae et armorum causa maluerit.

Sed primum parum apte in aliud semper ex alio incidere videretur poeta: tutos esse dixit amantes sagae illius merito: facta sagae mentione incidit in narrationem illam, voluisse ipsum solvere amore sagam sed se recusasse: iam in mentem venit quidam qui carere potuit Delia armorum et praedae cupidine captus: loquax meo quidem iudicio videretur Tibullus si ita conposuisset elegiam.

Deinde quod versus 63. 64 sequitur ferreus ille placere non poterit neque sanum videri nisi strictim intuenti. Qui enim satis expenderit magni illam ponderis sententiam, quae versibus 63. 64 continetur, Tibullum, cum aspernaretur ipsum puella, noluisse tamen

misero amore carere, ei parum validum videbitur quod additum est: ferreum fuisse illum qui, cum potuerit habere Deliam, i. e. cum ei faverit Delia, maluerit praedas et arma sequi. Haud dubie inter versus 64 et 65 ss. ea ratio intercedere putanda est, ut, quam mentem versu 64 professus sit, de ea versibus 65 ss. fusius disserat. Sed vide quam male rem inceptam persecutus sit, qui a maiori transierit ad minus: postquam enim adfirmavit ne posse quidem Delia carere se velle satis credimus vel tacenti ferreum ei videri illum qui amatus ab illa carere voluerit. Denique aliena est res: ‚ego *amore tuo* vel infelici carere nolim — ferreus fuit qui *te ipsa* carere voluit'. Rectius haec inverso ordine se exciperent.

Denique versu 66 nemo adhuc satis explicavit coniunctivum ‚maluerit'. Nam non hypothetice, ut putarunt quidam, haec dicta sunt, sed de uno quodam homine. At si cum versibus 63. 64 haec cohaerere negamus statim haec difficultas evanescit. Iam enim olim versum 65 praecessisse quaedam dicemus quibus de ipso illo homine, qui reliquerit Deliam, locutus fuerit poeta. Et vides quam egregie illis addere potuerit: ferreus ille fuit, qui (i. e. cum) maluerit praedas stultus et arma sequi. At ut nunc hi versus leguntur coniunctivus explicari nequit: pronomine ‚ille' ita usus esse putandus est poeta, ut plerumque utuntur pronomine ‚is'.

Puto igitur id fragmentum, quod a versu 33 incipit, procedere usque ad versum 64: inde novum sequi fragmentum a priore illo alienum. Et quod hoc potissimum loco positum est non casu factum esse puto, sed hoc loco posuisse aliquem propter argumenti quandam similitudinem. Recte igitur Vossius a praecedentibus seiunxit versus 65 ss., sed perverse et versus 1—64 et versus 65—98 integras putavit esse elegias.

Sed ut ad nostrum fragmentum (33—64) redeamus: possit aliquis hic quoque strophicae conpositionis vestigia reperire:

Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
    obvia: celari volt sua furta Venus.

neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
    neu prope fulgenti lumina ferte face.
si quis et inprudens adspexerit, occulat ille
    perque deos omnes se meminisse neget:
nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
    is Venerem e rapido sentiet esse mari.

nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
    pollicita est magico saga ministerio.
hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
    fluminis haec rapidi carmine vertit iter,

haec cantu finditque solum manesque sepulcris
elicit et tepido devocat ossa rogo:

iam tenet infernas magico stridore catervas,
iam iubet adspersas lacte referre pedem.
cum libet, haec tristi depellit nubila caelo,
cum libet, aestivo convocat orbe nives.
sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
sola feros Hecatae perdomuisse canes.

haec mihi conposuit cantus quis fallere posses:
ter cane, ter dictis despue carminibus.
ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
non sibi, si in molli viderit ipse toro.
tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
omnia: de me uno sentiet ille nihil.

quid credam? nempe haec eadem se dixit amores
cantibus aut herbis solvere posse meos,
et me lustravit taedis, et nocte serena
concidit ad magicos hostia pulla deos.
non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
orabam, nec te posse carere velim.

Complura sunt quae veram esse hanc distinctionem persuadere possint. Statim vides sententiae membra cum strophis bene congruere, novam stropham incipere eo loco ubi ad Deliam se convertit poeta. Praeterea una stropha coniunguntur tria illa disticha, quorum hexameter et pentameter ab isdem vocabulis incipiunt (47 — 52), respondent sibi quartae et quintae strophae initia: haec mihi conposuit — haec eadem. Atqui si recte ita haec strophis distincta sunt veri simile non videtur in initio unum solitarium distichon positum fuisse. Accedit quod, cum arctius inter se coniuncta sint strophae secunda cum tertia, quarta cum quinta, hoc quod in initio positum est distichon sequitur una stropha, quae cum ipso hoc disticho satis arcte cohaeret. Fortasse igitur coniciendum erit versum 33 praecessisse duo certe disticha ut in initio quoque fuerint duae strophae inter se coniunctae. Nam praecedere potuisse quaedam nemo negabit, et ubi semel adgnovimus fragmenta nos tractare nihilo veri similius est nihil deesse quam excidisse aliquid.

Restant versus 65—98 quorum duas partes distinguendas esse facile cognoscimus. Versibus enim 65—78 loquitur de homine aliquo Tibullus, qui ferreus Deliam reliquerit praedas petiturus. Non illi se invidere divitias: sibi sufficere simplicissimum victum modo cum Delia sit: nihil enim prodesse divitias sine amore secundo.

At versibus 79—98 de infelici suo amore queritur: num violarit Venerem? num alia numina? non se detrectare deprecationem et poenas, modo di placentur. Deinde invehitur in aliquem qui rideat ipsius mala, huic poenas minatur: senes quoque interdum seris ignibus correptos esse, qui riserint miseros iuvenum amores. At sibi ut parcat Venerem precatur.

Vides duabus his partibus diversas res tractari neque ullo eas sententiae vinculo quod quidem conspiciatur coniunctas esse. Neque versibus 65—98 integrum carmen contineri potest, quamquam hoc contendit Vossius, contra quem si quis disputare velit ei sane verendum erit ne noctuas Athenas mittere videatur. Ferreum enim illum ipsum esse Tibullum sibi persuaserat, quamquam ei disertissime se ipsum opponit versu 71 (cf. Dissenum pag. 51 ad versum 67). Igitur hunc mittamus.

Possint autem excidisse quaedam ante versum 65, quibus de suo amore questus sit poeta. Inde igitur putandus erit digressus esse ad hominem illum, qui reliquerit Deliam. De quo postquam dixit usque ad versum 78 (nam cum dicit ‚Tyrio toro‘ de praeda cogitat ab illo reportanda) iam versu 79 ad se ipsum regressus suum infelicem amorem conqueritur eiusque et causas quaerit et remedia.

Ita possit aliquis rem sibi fingere. Sed iam suspicaces sumus: nonne haec quoque olim divisa fuisse possunt, post propter similitudinem quandam coniuncta esse? Et sunt profecto quae verum hoc esse fere mihi persuadeant.

Haud dubie enim inde a versu 79 hominem audimus qui infelicissimus sibi videtur: miserrimas querellas fundit, quidvis potius perpeti mavolt quam quae patitur. Venerem denique iratam sibi esse indicat, unde discidium ei factum esse cum puella conicias.

At versibus 65—78 quamquam de se ipso pauca tantum dicit poeta non tamen tali esse condicione videtur. Totus enim orationis tenor placidus est et tranquillus, non qui profectus esse videatur ex animo curis vehementer agitato, qualem videmus versibus 79 ss. Denique versibus 71 ss. ita adloquitur puellam ut concordes esse amantes adpareat. Iam cum versibus 75—78 exponit nil prodesse divitias si quis infelix amet, nonne audire videmur eum, qui expertus quidem sit talia infelicis amoris mala sed iam sit felix? Et hoc loco haud dubie insereret sui mentionem, si esset tam miser, quam posteriore loco se profitetur.

Durius denique esse transeundi genus quale videmus versu 79 quis neget? Imo non transit omnino, sed pergit tanquam modo de eadem re locutus.

Quae cum ita sint eo potius sententia mea inclinat, ut putem haec quoque duo

esse fragmenta conposita ab eodem, qui priora illa coniunxisse videtur. Causam puto fuisse eam, quod, cum versibus 75—78 dicatur de aliquo qui propter dolores ex amore natos dormire non possit, versibus 79 ss. loquatur qui infelix amet.

Iam si quis coniecerit hoc postremum fragmentum (79—98) cum eo quod continetur versibus 1—28 fortasse una elegia olim coniunctum fuisse, quia utroque acerbe queratur Tibullus, huic respondendum erit potuisse haud dubie compluribus elegiis queri Tibullum, neque ullum testimonium nos cogere ut coniungamus quae tot alienis versibus interpositis seiuncta sunt. Attamen quam ob rem negandum hoc esse putarim breviter exponam hac potissimum de causa, quod haec ad eius quoque opinionem labefactandam fortasse aliquid valebunt, si quis post haec omnia unam esse elegiam versus 1—98 sibi persuaserit.

Miserrime enim questus in elegiae initio poeta mox fortiora verba promit: strenue audendum esse adfirmat, adiutricem fore Venerem. Iam non credo in eiusdem elegiae fine relapsum ad inertes desidesque querellas Tibullum inparem se ostendisse fortioribus illis consiliis. Non laudaremus tale quid si traditum esset: non traditum ne inmerito poetae inputemus cavendum est.

Deinde credibile non est, qui illic cetera quidem adversa sibi esse querebatur, spem tamen ponebat in Veneris auxilio, quae adiuvet amantes, eum iam eo pervenisse ut omnia mala sua ab irata Venere inposita sibi esse putet. Neque fallet eum, qui recte legerit versus 1—28 hoc ipsum fuisse illius elegiae argumentum: audendum esse, adiutricem fore Venerem.

Denique vereor ne de irata Venere queri non possit is, qui, cum faveat ipsi puella, positis custodibus congressu eius prohibeatur. Atqui ita res se habet versibus 1—28.

Iam ad elegiae quae esse putabatur finem pervenimus: nacti sumus pro carmine longiore sed quod intellegi non poterat fragmenta quaedam maiora et minora sed pulcherrima omnia, ut quam maxime dolendum nobis sit non extare integras elegias.

Discimus autem ex iis quae exposui, si recte disputata sunt, admodum iniquam fortunam expertas esse reliquias Tibullianas: quatuor aut quinque elegias ita perisse videmus, ut frustula tantum ad nos pervenerint. Longe pluribus igitur elegiis quam nunc legimus Deliam suam celebraverat poeta variosque amoris casus poetice tractaverat.

Sed aliud quoque discimus: postquam elegiarum Tibullianarum corpus laceratum est operam posuit aliquis in conponendis et adornandis fragmentis eo consilio ut si fieri posset integrae elegiae restituerentur. Hoc enim in propatulo est deperditarum elegiarum fragmenta non casu aliquo coniuncta esse eo quo nunc legimus ordine sed hominis

alicuius cura: vel inde hoc conicias quod tot interpretes ita omnia nos habere putarunt ut scripserit ipse Tibullus. Et versus quidem 1 ss. verum esse elegiae alicuius initium quis dubitet? Ea quoque quae in fine leguntur extremam esse elegiae partem videmus. Interposita sunt alia, ita tamen ut similia cum similibus coniungerentur et ut crassus quidam sententiarum conexus effici videretur. Si quis enim cognoscere voluerit quo quaeque consilio coniungere potuerit conpositor ille, interpretes adeat: ut hi, ita ille quoque res sibi fingere poterat.

Schulnachrichten.

Im verflossenen Jahre hat das Lehrercollegium unserer Schule mehrfache Veränderungen erfahren. Zunächst ward am 27. März der Dr. Ottsen, Collaborator am Rendsburger Realgymnasium, zum Subrector an unserer Schule ernannt, und wir hofften durch den Eintritt dieses kenntnissreichen und eifrigen Lehrers nunmehr wieder mit einem vollständigen Collegium in das neue Schuljahr eintreten zu können. Allein unter dem 13. Mai wurde der achte Lehrer unserer Schule Dr. Berblinger als dritter Collaborator an das Rendsburger Realgymnasium versetzt. Er hat der Schule während seiner hiesigen Wirksamkeit durch lebendiges Interesse und treuen Fleiss die schätzbarsten Dienste geleistet. An seine Stelle trat der Dr. Mau, Hülfslehrer in Meldorf, zunächst als achter Lehrer unserer Schule constituirt. Wenn die entstandene Lücke dadurch in wünschenswerthester Weise ausgefüllt wurde, so standen doch der Schule bald anderweitige Verlüste bevor. Schon am 30. Mai ward der fünfte Lehrer Dr. thor Straten, der sich durch Klarheit und Präcision im Unterricht und sichere Disciplin der Schule lieb und werth gemacht hatte, als Subrector an die Meldorfer Schule versetzt, und wenn es auch gelang, seinen wirklichen Abgang bis zu den Sommerferien zu verzögern, so war doch ein definitiver Ersatz mitten im Semester nicht zu beschaffen; dagegen übernahm Pastor Clausen hieselbst eine grössere Anzahl von Lehrstunden, die er bis zum Schluss des Sommerhalbjahres ertheilt und sich dadurch die Schule zu vielem Danke verpflichtet hat. Endlich sollten wir noch einen kenntnissreichen Lehrer verlieren, dessen Vielseitigkeit zur Zeit besonders schwer zu ersetzen schien. Zu Michaelis wurde der Collaborator Meins zum Hauptpastor in St. Margarethen ernannt. Wenn dadurch unserem vieljährigen Collegen ein langgehegter Wunsch in Erfüllung ging, so gelang es anderer Seits der Fürsorge der hohen Behörden, der Schule die erforderlichen Kräfte alsbald wieder zuzuführen. Unter dem 14. October wurde der Dr. Mau als fünfter Lehrer, der Dr. Detlefsen, bis dahin Hülfslehrer an der Flensburger Gelehrtenschule, als Collaborator und der Cand. ph. Baurmeister als achter Lehrer constituirt; am 15. Januar der Dr. Detlefsen definitiv zum Collaborator ernannt und damit ein im Interesse unserer Schule vollberechtigter Wunsch seiner Collegen erfüllt. Hoffen wir denn nach diesem vielfachen Wechsel im Lehrercollegium nunmehr auf ruhigere Zeiten für unsere Schule und deren gedeihliche Wirksamkeit.

Michaelis ging nach wohlbestandenem Maturitätsexamen der Primaner A. Dütsch aus Glückstadt zur Universität ab, um Medicin zu studiren.

Im verflossenen Winterhalbjahre ist die Schule von 128 Schülern besucht worden, von denen im Laufe desselben die Primaner G. Schrader aus Kiel, W. Christiani aus Brunsbüttel, der Secundaner H. Tetens aus Pinneberg und der Tertianer A. Kracht aus Glückstadt die Schule verliessen. Am 31. November starb der Tertianer O. Sass aus Neustadt, ein wohlgearteter Schüler und seiner Eltern einzigster Sohn. Zu Ostern werden abgehen: aus Prima Chr. Plambeck aus Glückstadt, um Apotheker zu werden; aus Secunda Chr. Decker aus Rendsburg wegen Ortsveränderung der Angehörigen nach Kiel,

Lesen, 6 St.
Schreiben, 5 St.
Rechnen, 5 St.

Der Gesangunterricht wurde in 4 wöchentlichen Stunden in Tertia, Quarta, Quinta und Sexta vom Gesanglehrer Jantzen ertheilt.

Oeffentliche Schulprüfung.

Montag den 19. März.

Sexta.
9–9½ Religion. Gr.
9½–10¾ Latein. B.
11–12 Geschichte. Gr.

Quinta.
3–4¼ Latein. M.
4¼–4¾ Deutsch. Kr.
5–6 Geschichte. B.

Dienstag den 20. März.

Quarta.
9–10½ Latein. Coll.
10½–11 Naturgeschichte. B.
11¼–12 Griechisch. Coll.

Septima.
3–3¾ Deutsch. K.
3¾–4¼ Lesen. K.
4½–5 Rechnen. K.

Donnerstag den 22. März.

Tertia.
9–10¼ Caesar. Subr.
10¼–11 Geschichte. Coll.
11¼–12 Xenophon. Subr.

Prima.
3–3¾ Tacitus. Rect.
3¾–4½ Geschichte. M.
4¾–5½ Sophocles. Rect.

Freitag den 23. März.

Secunda.
9–10 Cicero. Conr.
10–11 Mathematik. Gr.
11¼–12 Homer. Subr.

Zur Theilnahme an dieser Prüfung ladet ehrerbietigst und geziemend ein

Vollbehr.